



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE MEMBRIS ECCLE-||SIAE MILITANTIS,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XXII. Soluuntur argumenta Magdeburgensium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53880)

horibus suspendi potuisse. Dico præterea, Canones veteris Ecclesiæ, alios mitiores, alios seueriores fuisse; nam Conciliū Neocæsariense can. 1. iubet Presbyterum ordine moueri, si vxorem ducat; at Concilium Toletanum II. can. 1. iubet sacerdotem, qui vxorem duxit, vt sacrilegij reum ab Ecclesia haberi extraneum, & Toletanum VIII. can. 6. iubet eiusmodi homines recludi in monasteriis, vt ibidē sub grauibus pœnitentiæ oneribus vsq; ad finem vitæ degant. **ADDE** vltimò, Presbyteros nunquam in Ecclesia tam seuerè puniri, quia vxores ducunt, vt Philippus dicit: sed quia post votum solenne ducunt, & proinde non vxores, sed concubinas sub coniugij nomine ducunt, & Matrimonium simul ac sacerdotium polluant, cui intemperantiæ cùm etiam hæresim addunt, ac dicunt, vota non esse seruanda; quid mirum si digni sunt, qui ab arboribus suspendantur?

Addamus **HIERONYMI** testimonium lib. 1. aduersus Iouinianum: *Certè confiteris, inquit, non posse esse Episcopum qui in Episcopatu filios faciat, alioquin si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur.* Hæc ille. Porro adulterij pœnam Hieronymi tempore, & quidem ordinariam, fuisse vltimum supplicium, patet ex epist. 49. eiusdem Hieronymi, de muliere septies iusta. & ex lib. 1. contra Iouinianum, vbi sic ait: *Quotidie mæchorum sanguis effunditur, & inter ipsas leges, secures, ac tribunalia flagrans libido dominatur.* Quare Hieronymi sententia, Episcopi liberis operam dantes, non solū suspendi possunt ab officio, sed etiā, vt adulteri, capite cædi. Sed iam ad Magdeburgenses veniamus.

CAPVT XXII.

Soluuntur argumenta Magdeburgensium.

MAGDEBURGENSES Cent. 9. cap. 10. col. 540. 541. & 542. colligunt decem argumenta contra cœlibatum Clericorum ex vna epistola **S. Vdalrici** Episcopi Augustani ad **Nicolaum Papam**, quæ nuper excusa est Basileæ, & inserta in illo opere, quod inscribitur, *Orthodoxologia sanctorum Patrum*; sed ex iis argu-

argumentis nouem sunt eadem cum illis, quæ iam solutimus, à Caluino & Melanchthone proposita; vnum solum soluendum superest, quod sumitur ex quadam miserabili narratione. Scribit enim iste sanctus Vdalricus hanc historiam: *Beatus Gregorius Magnus Papa I. aliquando suo quodam decreto vxores sacerdotibus ademit. Deinde paulo post eum idem Gregorius iussisset ex piscina sua pisces aliquot capi, piscatores pro piscibus sex millia capitum infantum suffocatorum reppererunt; quam eadem infantum cum intellexeret sanctus Gregorius ex occultis fornicationibus vel adulteriis sacerdotum natam esse, continuo renouauit decretum. Et peccatum suum dignis pœnitentiæ fructibus purgauerit.* Hanc narrationem, quia vehementer odiosam reddit legem de Cœlibatu Clericorum, sæpe alibi inculcant iudei Magdeburgenses, vt Centuria 6. cap. 7. colum. 388. & capitulum. 686.

Respondco PRIMo, si quid valet huius S. Vdalrici auctoritas, ea magis premi Lutheranos, quàm nos. Nam in hac pistola fatetur, Romanum Pontificem esse caput omnium & ei ab omnibus deberi obedientiam. Item asserit, Pontificem debere cogere Presbyteros & Monachos, ne villo modo vxorem ducant, & si duxerint post votum continentia, debere separari.

Dico SECUNdo, eam epistolam videri confictam, & confictam ab aliquo imperito defensore coniugij Ecclesiasticorum; nam imprimis tempora nullo modo cohererent, nam sanctus Vdalricus creatus est Episcopus anno Domini DCCC. XXIV. vt Hermannus Contractus, & Abbas Urspergensis docent, vel anno DCCCC. III. vt dicitur scriptum esse in Chronico Augustanæ Ecclesiæ; Nicolaus autem Papa I. obiit anno DCCC. LXVII. vt Onuphrius annotauit in libro de Romanis Pontificibus: non ergo potuit scribere Episcopus Vdalricus ad Papam Nicolaum, qui iam dudum obierat.

DICENT, scripsit fortassè antequam fieret Episcopus, & in principio epistolæ se Episcopum vocat; præterea conueniunt auctores, S. Vdalricum LXXXIII. annos vixisse, L. in Episcopatu, & XXXIII. ante Episcopatum; ex quo sequitur eum natum esse anno Domini DCCC. LXX. vel DCCC.

XC. Iuxta alios, ergo inter obitum Nicolai, & ortum Vdalrici sunt anni ut minimum tres; nam secundum alios sunt XXIV. Nisi ergo scripserit ipse antequam nasceretur, vel ad Nicolaum post eius mortem, non potest esse epistola S. Vdalrici ad Nicolaum.

DICENT, non esse Nicolaum I. sed II. ad quem scribit S. Vdalricus, ad id minus fieri potuit; nam obiit S. Vdalricus ferè circiter centum annis ante initium Pontificatus Nicolai II. obiit enim S. Vdalricus anno DCCCC. LIII. vel DCCCC. LXXIV. & Nicolaus II. creatus est Papa anno M. LIX.

DICENT fortassè, duos esse Vdalricos Episcopos Augustanos. Vnum enim ponunt Magdeburgenses Centuria 9. cap. 10. col. 540. alterum Centur. 10. cap. 10. col. 602. Sed priorem illum confinxerunt ipsi Centuriatores; non enim aliunde probant illum aliquando existisse quam ex epistola ad Nicolaum. MYNSTERVS enim lib. 3. de Germania Catalogum recensens Episcoporum Augustanorum, nullum Huldericum, vel Vdalricum, ponit ante sanctum Vdalricum, qui vixit post tempora Nicolai, ut supra ostendimus. Quocirca Magdeburgenses illius prioris Hulderici à se conficti neque patriam, neque parentes indicant, neque auctorem vllum citant, qui de eius Episcopatu testetur, ut in aliis facere solent.

PRAETEREA, quod iste auctor dicit S. Gregorium admississe vxores sacerdotibus, falsum est, & magis adhuc falsum quod resciderit huiusmodi decretum: Quod verò in piscina Gregorij sex millia capita sint inuēta, falsissimum. Nec enim vllum exstat vestigium harum rerum in omnibus B. Gregorij operibus, imò ipse lib. 1. epist. 42. meminit decreti sui prædecessoris, qui iusserat, Subdiaconos Siculos separari ab vxoribus, & viuere cœlibes, ut reliqui Subdiaconi in tota Ecclesia viuebant, & ibidem temperat rigorem decreti; iubet enim permitti vxores Subdiaconis, qui eas duxerāt ante ordinationem, sed non ordinari rursus alios, nisi prius vouerent continentiam. Itaque nihil ipse noui statuit; sed solum mitigauit rigorem sententiæ sui prædecessoris.

PRAETEREA, si ex decreto Gregorij nata est illa cædes sex millium infantium, certè in Sicilia nata est, ad quam solum pertinet Gregorij decretum. Quomodo autem verifi-

mile

mile est paucissimos Subdiaconos Siciliae breuissimo tempore sex millia infantium genuisse? & quomodo illa sex millia capita ex Sicilia in Romanam piscinam Gregorij saluerunt? quomodo autem intellectum est illa esse capita liorum Clericorum, non Laicorum? denique cur de historiam admiranda nihil scripsit Ioann. Diaconus, Beda, Sigbertus, Ado, Freculphus, aliique tam multi? Itaque non immeritò suspicatur Staphilus hanc epistolam confictam sub nomine S. Vdalrici, in respōsione ad fictas dissensiones, quae inter Catholicos esse falsò criminatur Illyricus, qui etiā addit Augustae inter opera S. Vdalrici, nullam syllabam de hoc re extare.

De tota hac disputatione, vide Michaëlem Medinam in libris quinque de continentia hominum sacrorum, Cledium Espenccum in libris eiusdem argumenti, Iodocum Glichtouaum in libro de coelibatu Sacerdotum, Hofium in Dialogo de hac re, Aialam de traditionibus parte tertia, Didacum Papuan libro ultimo, Ioannem Cochlaeum de rebus contra Calvinum, Alphonsum à Castro lib. 13. de hæresibus, verbo Sacerdotium, hæresi 4. Albertum Dighum controuersia 15. Vide etiam solutiones aliorum argumentorum, quæ huc etiam referri potuissent, infra lib. 2. de Monachis cap. 29. & sequentibus.

CAPVT XXIII.

De Digamia.

POSTREMA restat quæstio; num Apostolica lege prohibitum sit, ne qui post primæ vxoris obitum alteram duxit, ad sacros ordines admittatur. Tota autem controuersia de verbis illis beati Pauli est: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, & vnus vxoris virum.* Et rursum: *Diaconi sint vnus vxoris viri.* 1. Timot. 3. & Tit. 1. Tres autem eius loci expositiones præcipuè reperiuntur.

PRIMA Lutheri est in libro de captiuitate Babylonica, capite de ordinis Sacramento, & fusiùs in propositionibus de digamia Episcoporum, vbi docet, B. Paulum illis verbis solùm